

Henning Wegner   Cunradus Vöhlin

**Disputatio VIII. Ad I. Nepos Proculo 125. & seqq. aliquot Tituli XVI. lib. L. Pandect.  
De Verborum Et Rerum Significatione**

Regiomonti, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769831397>

Druck   Freier  Zugang









V. H. — 2 (100.)



1. Mollenber de duobus testamentis simul validis.
2. Cuvoc de investigando definiendoque statu causae forensis.
3. P. Müller de libris officialium, autli vngi str.
4. Stanting de curatore ad litem.
5. Stryci de juramento purgatorio in causis civilibus.
6. Stryci de domicilii mutatione.
7. Radov. de subfeudis.
8. Bünsow de jure deactionis et emigrationis.
9. Stryci de matrimonio ex ratione status.
10. Beckmann de libris aetatis.
11. Bursfeld de tituli invalidi convalidatione.
12. von Aoweloe. de praerogationibus.
13. Both de anatopis rno.
14. Charivius de dolo.
15. Charivius. de culpa.
16. Willebrandt. de senatusconsulto macedoniano.
17. Ranger de masculorum conditionibus melioribus in jure.
18. Rahne de jure protinireos.
19. Ranger de concursu actionum.
20. Ranger de eo quod iustum est circa consilium.
21. Pauli de immunitate et foro philosophorum.
22. Radov. de furtis.
23. Büttner de torturis et tormentis.
24. Krafft de concursu iudicii civilis et criminalis in causis ultimi supplicii
25. Meyer de iudicio in crimine magiae quoad torturam reprobatis et approbatis.
- 26-2. Wegner de verborum significatione disput. 1-1x.
27. Cleemann de reciproca cohaerendum substitutione
28. Eichrod de vi rei iudicatae.
29. Wincoop de revocanda divisione hereditaria.
30. Reinhardt. de successione fidei.
31. Banfa de usuris ultra alterum tantum.
32. Schroeter de commodo vel incommodo ex alterius persona accidente, quod ex sua non habuisset.
33. Schroeter de reformatione iuris civilis circa causas matrimoniales a Romanis pontificis per ius canonicum perverse tentata.
34. Streit de actione quae ex mala munieris administratione competit.



35. Gribner de fidejussore mulieris apud Saxonas sine curatore contrahentis.
36. Beckmann de patria potestate.
37. M. Graf de jure protutorum.
38. Klünger de dote.
39. Werner de jure emphyteutico.
40. Streit de repudio et divortio.
41. G. Engelbrecht de successione ab intestato et honorum possessione.
42. J. L. D. Böhm de filio vasalli successore in feudum.
43. de Khevenhüller ab Aichelberg de eligendo Romanorum rege.
- 43<sup>2</sup>. de Bellmont de academia Erfurtana.
44. Spoenla de foro ac privilegiis practiciantibus in camera imperiali.
45. Kestner de jure humaniore Codicis.
46. Schroeter de relaxatione juramentorum.
47. Schroeter de probatione per testes et praesumptiones itemque juramentis  
to judiciali et necessario in processu executivo locum habente.
48. Brückner de favore ultimarum voluntatum.
49. Schroeter de principum recriptis eorumque usu moderno.
50. Salm de jure numeri septenarii Bon. Vuff sur subaudus Zaff.
51. Wolpmann de eo quod justum est circa contractus noviter introductos.
52. Scherbaum de pariete communis ejusdemque jure.
53. Schmid de denunciatione e suggestu.
54. Schulz de eo quod justum est circa parochianos.
55. Ludovici de eo quod justum est circa campanas.
56. Streit de quatuor quartis.
57. Napoo de impensis in rem alienam a b. et m. f. possessore factis.
58. Schott. de uxore desertivae dote sua esse regula quidem, non tamen  
semper privanda.
59. Bauer formulam, qua pecunia dotalitium serviens vidua mortua  
in feudum ad filios reverti jubetur, fideicommissum non inferre.
60. Riccio de conventionione obligationis debitoris ad carcerem in cura  
ra debiti.



DISPUTATIO VIII.

*Ad l. Nepos Proculo 125. & seqq. aliquos  
TITULI XVI. lib. L. Pandect.*

DE VERBORVM ET  
RERUM SIGNIFICA-  
TIONE.

*Quam*

Dei iuvante gratiâ

Sub præsidio

HENNINGI WEGNERI, J.U.D.

& Professoris primarii

*In Academia Regiomontana  
Publicè tuebitur*

CUNRADUS Böhm. Augustan.

die 28. Novemb.



REGIOMONTI,

Excudebat Iohannes Fabricius, Anno 1618,



DISSELTATIO VII

Ab J. po. Frobenio et J. J. Frobenio  
in J. J. Frobenio

DE VERBORVM ET  
REVM SIGNIFICATI  
TIONE

Quam

Dei iuvante gratia

sub praesidio

HENNINGI WEGNERI, J. D.

& Professoris primarii

in Academia Rostochensi  
Publici Auditoris

CONRADUS WITTIUS AUGUSTANUS

die 28. Novemb.

1692

REGIOMONTI

Ex Typographia Johannis Fabricii Anno 1692



**N**epos Proculo salutem. Ab eo, qui ita dotem promissit, cum commodum erit, dotis filia mea, tibi erunt aurei centum; putasne protenus nuptiis factis dotem peti posse? Quid si ita promississet, cum potuero, doti erunt? Quod si aliquam vim habeat posterior obligatio, possit, verbum quomodo interpretaris? Virum are alieno deducto, an extante? Proculus, cum dotem quis promissit, cum potuero, doti tibi erunt centum: existimo ad id, quod actum est, interpretationem redigendam esse: nam qui ambigüe loquitur, id loquitur, quod ex his quæ significantur, sensu. Propius est tamen ut hoc cum sensisse existimem, deducto are alieno potero: potest enim illa accipi significatio, cum salva dignitate mea potero: Quæ interpretatio, eò magis accipienda est, si ita promissum est, cum commodum erit, hoc est, cum sine incommodo meo potero.

Duplex quæstio proponitur hic Proculo à Nepote. Prior est de dote promissa, cum commodum erit: Posterior de dote promissa, cum promittens potuerit. † De priori non erat dubium, dotem peti posse; sed an statim nuptiis factis posset? Illa enim verba, cum commodum erit, Nepoti visa sunt ad ipsam promittendi causam, ad ipsam dotis naturam spectare magis, quàm ad conditionem promittentis. Nuptiis secutis, commodum videtur dotem solvi, & uxoris & mariti nomine, quod commodum videbatur etiam spectandum à promittente, qui utiq; hoc votum habere credi debet, ut dos apud maritum sit l. 1. de iure tot: † De posteriori etiam hoc dubium erat, an ex ea dotis esset exactio, an ista obligatio, cum potuero, aliquam vim habeat? Cum enim manifeste referatur, ad conditionem promittentis, videbatur non subsistere, ex eo, quod promittens semper se non posse pretendere possit, atq; ita in tuo retinere arbitrio, an obligatus esse velit, nec ne. l. centesi-  
m. 46. § si insipulatus. de V. O. † Deinde si non ideo minus obligatio



obligatio subsistit, cum non pretextus eiusmodi, sed quid revera sit, in considerationem venire debeat tamen dubium superest, quādo videatur promittens posse, & rene alieno antè deducto, nec ne?

4. Potest enim dotem solvere, & aliis manere obligatus. † Proculus prius reassumit quæstionem posteriorem. Et primum quidem ejus membrum nec responsione dignatur, cum propter rationem prædictam, tum quod ipse Nepos de eo non tantoperè dubitasset, & responsio ex sequentibus quoque facile desumi posset. † Ad posterius membrum respondet. primò, regula generali; deindè peculiari ad casum propositum applicatione. Regula est: in ambiguis locutionibus videndum imprimis esse, quid actum sit. Verba enim in hoc sunt inventa, ut explicent mentem proferentis *l. Labeo 7. de suppell. leg.* & proinde licet verbum ambiguum sit, tamè qui illud profert, non utrumque voluit, sed tantum alterum eorū id sc. quod sensit vel egit, exprimere. *de quo in l. semper 34. de R. l.* si igitur aliunde non constet, quid actum sit, ex ipsis tamen verbis, cum potuero, Proculus conjecturam voluntatis sumit, ut non aliter videatur dos promissa quam & re alieno deducto. Si enim & alienum non deducitur, fieri potest, ut promissor non solvendo sit, & sic in difficultates conjiciatur, quæ excussis debitoribus sunt metuende. *Hottmin. illustr. quest. 26.* at in dubio summa ad minimum redigenda, ut debitor graveretur minus *l. semper 9. de R. l.* † Deindè iniquum etiam est, creditoribus, tempore præsertim prioribus, promissione debitoris novā, jus quæsitum interverti, aut saltem reddi

7. disputabile. † Denique nec quidem alia cuiusque bona intelliguntur, nisi quæ deducto & re alieno supersunt *l. subsignatum 39. § bona 1. s. h. tit.* Ergo prout non videtur quisque esse solvendo, qui de bonis alienis solutionem de facto posset expedire *l. solvendo 114. s. h. tit.* Sic nec iste videtur solvere posse, cuius bona & re alieno gravata sunt, ut illo deducto ex illis nihil superfuturum sit. † Verum, etsi & re alieno deducto tantum supersit, nondum tamè est, ut simpliciter posse dicatur: Si enim de illo residuo non possit solvere dignitate salva, veluti si studioso tantum libri supersint, militi arma; non videbuntur posse, etsi libris aut armis venditis possent *gl. h. tit.* ita etiam relinquendum ipsi erit, unde secundum dignitatem personæ suæ honestè cum suis vivat; non tamen illa quæ ad mollicitiam

pom pamve



pompamve pertinent. *Aleiat. hic n. 12.* Ea enim, quæ legunt ve-  
recundiam, nec facere nos posse erendum est. *l. non dubium §. C.*  
*de legib. Gōdd. hic n. 3.* At si quis destituatur pertinentibus ad pom-  
pam, ideò tamen apud Viros graves non legitur eius existimatio.  
*Aleiat. d. n. 12.* † Hanc interpretationem Proculus tandem 9.  
producit ad aliam quæstionem, aitq; eam magis accipiendam esse,  
si ita promissum est, cum commodum erit. Re ipsa monstrat, hæc  
verba referenda esse ad conditionem personæ, ne sc. sint addi-  
ta inutiliter. cum alioqui etiam sine istâ adiectione constet, dotem  
promissam ante non solvi, nisi nuptiis secutis *l. 2. de iure dot.* Quo  
praesupposito, facilius interpretatio præmissa in casu præsentis lo-  
cum habet quam in præcedenti, in quo per interpretationem tan-  
tùm inducitur & subintelligitur: in hoc autem ipso verbo, cum  
commopum erit, exprimitur, ac si clausula ita esset concepta: cum  
sine meo incommodo potero. Atqui si æs alienum non detrahatur,  
aut si existimatio promittentis lædatur, aut si accipiens scorto sit  
daturus, vel aliter consumpturus malè; aut timendum, ne ad egesta-  
tem redigatur, non videbitur sine incommodo promittentis solvi  
posse. *Cujac. hic.*

*Ad l. si cum fundam. 126.*

*Si cum fundum tibi darem, legem ita dixi, uti optimus ma-  
ximusq; esset. & adieci, Ius fundi deterius factum non esse, per domi-  
num præstabitur, amplius eò præstabitur nihil: etiam si prior pars,  
quæ scriptum est: uti optimus maximusq; sit, liberum esse signifi-  
cat, eoz, si posterior pars adjecta non esset, liberum præstare debe-  
rem: tamen inferiore parte satis me liberatum puto, quod ad ius  
ra attinet, ne quid aliud præstare debeam, quam Ius fundi per  
dominum deterius factum non esse.*

Declarata est hæc Lex, ad l. qui uti optime. 90. §. h. t. t.

*Ad l. Vestis. 127.*

*Vestis appellatione tam virilis, quam muliebris & scenica,  
etiamsi tragica, aut citarædica sit continetur.*

Legatis aut promissis vestimentis, quid debebitur. † *Vesti- r.*



- um quinque species facit, & singulas declarat *Ulp. in l. Vestis 23. de auro & argent. leg.* Sed ex enumeratis ibidem speciebus constat, eum loqui tantum de vestibus, quarum usus ordinarius est, & ex instituto. Ista quidem species omnes vestimentorum appellatione
2. comprehenduntur; sed non solæ. † Sunt enim & aliæ non usus perpetui causâ, sed temporalis; non tam vestiendi, quam alienum habitum imitandi causâ, veluti Scenicæ & tragicæ, quas & ipsas in
  3. *h. l. u.* Ictus vult vestis appellatione contineri. † Vestes ex usu & fine, sunt vel primariò vestiendi causâ, quibus utimur Ordinariè, & ex instituto: vel secundariò, quibus non tam ipsi vestimur, quâ vestitum certæ personæ, & per illum ipsam personam representamus. Secundariùs usus imitatur primariùs & eius species.
  4. † Iste usus primariùs ex sexu vel communis est utriq; vel proprius, masculino aut foemino. Cuiusq; sexus ex ætatis & dignitatis diversitate, diversæ etiam vestes, *de quibus in d. l. 23. & seqq. Hottoman. 2. antiq. Rom. ult. Petr. Fabr. 1. Semestr. 15.* † In usu ordinario vetitum fuit & divinâ lege masculorum & foeminarum vestitus esse promiscuos, *Deut. 22. vers. 5. d. l. vestis. 23. vers. muliebria. de auro & arg. leg. Coras. 7. miscell. 24.* Usus autem Vestimenti muliebris secundariùs Viro non simpliciter interdictus. *de quo pluribus Alb. Gemil. de actor. sub. c. 3. & seqq.*

#### *Ad l. Spadonum. 128.*

*Spadonum generalis appellatio est, quo nomine tam hi, qui naturâ spadones sunt, item thlibia & thlasia. sed & si quod aliud genus spadonum est, continentur.*

1. Spadonum appellatio est generalis & specialis † Generaliter Spadones sunt, qui generare non possunt *S. 9. inst. de adopt. Et sunt vel castrati, vel non castrati l. 39. S. si spadoni 1. de iure dot.*
2. † Castrati quæ casti facti plane non arrigunt, & coeundi quodq; potentiâ omninò destituuntur, *Alciat. hic n. 4. & 5.* Tales non tantum natura facit, sed etiam improbitas violenta *l. legè Cornelis. 4. S. 2. Ad L. Cornel. de Sicar.* † Thlibia, quibus testes attriti, veluti in aqua calida, *Alciat. hic num. 12.* Thlasia, quibus fracti, contusi aut compressi. Estomix, quibus excisi: non naturâ tales sunt



sunt, sed a Violentia, & vocantur nihilominus castrati, d. l. 4. l. ff. servus. 27. §. 28. Ad L. Aquil. Hi etiam Eunuchi vocantur tot. tit. C. de Eunuchis. quod adhibeantur ad custodiam lecti, Borch. ad d. §. sed & illud 9. † Nec à castratis excludendos reor, quibus puberibus 4. erectis coles non est amputatus, etsi cum hepate sunt ferventiore, vasaq; genitalia capaciora possident, cõire possent Alciato teste n. 3. Hoc enim rarum & per accidens est, nec ut matrimonium contrahere aut adoptare possint considerandum. Nam ne quidem spes ulla superest, ut liberos habere possint. † Quanquam si Quæ- 5. stio sit, An custodiæ Gynæcei & hi rectè adhibeantur, aliud statuendum existimem; cum Veneri vel flatus distendens satis sit. Gõld. hic n. 4. † Non castrati retinent nomen generis, suntq; qui, 6. licet actu generare non possint, tamen potentia omni non ita destituuntur, ut nulla spes superfit, quin possint vitio sublato etiam generare: veluti si morbo aut alio aliquo vitio membrum integris superveniente, usus generationis impediatur. Et hi non adoptant tantum, sed etiam nuptias contrahunt rectè d. §. 9. & l. 39. §. si spadoni.

### Ad l. Qui mortui. 129.

*Qui mortui nascuntur neq; nati, neq; procreati videntur,  
quia nunquam liberi appellari potuerunt.*

Cum Reipubl. summopere interfit, sololis multitudine civitatem augeri, variis præmiis ad liberorum procreationem invitati, nec minus poenarum irrogatione cives commoti fuerunt. §. 1. & ibi Dd. Inst. de Excus. tut: Duaren. 1. disp. annivers. 40. † Quid 1. ergo si mulier monstrum ediderit, aut si mortuum? an parentibus proderit ad captandum lucrum lege destinatum, aut damnum avertendum? quia sc. non sit quod eis imputetur, qui qualiter potuerunt, statutis obtemperarunt? l. queret. 135. j. h. tit. Et distinguendum reor, an lex spectet ipsum pariendi factum, an verò ipsum partum? Priori casu negari nequit, mulierem peperisse, quicquid tandem sit, quod pepererit, neq; illi id quod fataliter accessit, damnum jungere debet d. l. 135. † posteriori casu cū ipse par- 2.  
tus



partus spectatur, non satis est mulierem peperisse, sed desideratur etiam partum per se existere in eâ formâ, quam lex exigit, humanâ sc. & vivâ. Monstruosus partus pro nullo est, & mortuus æquè pro nullo est, neuter enim pertingit scopum legis, cum nec liberi appellari unquam potuerint *h. l. n.* Ergò nec jure liberorum censi possunt, nec ut liberi testamentum rumpunt. *l. quod certatum 3. C. de possib. hered. Inst. †* Mortuis æquiparat Alciat. *hic. n. 2.* ante septimum mensem natos, quia & hi imperfecti sint & abortivi *l. uxoris 2. C. eod.* Idem censet *n. 4.* de his qui antequàm omninò de ventre extraherentur, puta cum pede adhuc retinerentur, extincti sunt. Et meritò, quippè natus non est dicendus, cui aliquid ad peragendam nativitatem adhuc deest. Proinde qui in ipso nativitatis actu moritur, cum ante nativitatem absolutam mortuus sit, dici nequaquam potest, vivus natus esse.

*Ad l. Lege obvenire. 130.*

*Lege obvenire hereditatem non improprie quis dixerit & eam, quæ ex testamento defertur: quia L. XII. Tab. testamentaria hereditates confirmantur.*

Legitimum à lege dictum apparet, ut omne sit, quod iustum, quod rectum, quod secundum Leges est. *l. nam 2. in f. de Leg. b.* Nam etsi non legis ipsius, sed hominis actus sit, modo secundum leges sit, generaliter legitimum dicetur. † Nuptias non lex contrahit, sed homines: non legis, sed Viri & mulieris sunt conjunctio. *§. nuptiæ. Inst. de patr. pot.* Et tamen nuptiæ dicuntur legitimæ *l. cum legitime 19. de statu hom.* Imò Concubinatus, etsi non mandatus aut introductus lege, tamen quia lege permissus & consuetudo licita: *l. si qua 5. vers. sin a. C. ad Scrm. Orfic.* dicitur per leges nomen assumpsisse *l. in concubinato 3. §. nec adulterium. 1. de Concubin.* Nam & permittit quædam Lex. *l. Legis Virtus 7. de Legib.* quæ proinde isto modo & generaliter legitima dici possunt. † Specialius autem legitima dicenda sunt, quæ per ipsam legem introducta sunt, quæq; ipsamet lex maximâ ex parte autoritate suâ firmat & peragit. † Et horum quædam hominis



hominis factum requirunt, sine quo lex non operatur: quales sunt  
Actus legitimi omnes de quibus in l. Actus legitimi. 77. de R. I. † 4.  
Quædam sine quoquam hominis factio, lege solâ peraguntur, ut tem-  
pus legitimum. l. interdum 19. in pr. de min. 25. ann. legitimum  
spacium. l. Imperatores 14. de servit. urb. præd. quantitas legiti-  
ma l. sancimus. 34. C. de donat. quæ hominis aliquod factum non  
desiderant. Ita ab intestato hereditas lege solâ defertur, sine ali-  
quo hominis factio, eaquæ; propter propriissimè dicitur legitimâ: si-  
cuti & legitima tutelâ, quæ lege solâ defertur, t. t. de legit. tut. t. t.  
Inst. de legit. agn. success. Forster. sen. lib. 1. de success. ab int. c. 15.  
per tot. † Ista autem, quæ ex testamento obvenit, ultimo modo legi. 5.  
tima dici acquir. quia testamentum desiderat factum testatoris, de  
re suâ disponentis t. t. Inst. de testam. ord. & exinde legitimæ he-  
reditati opponitur non semel, l. si ferrum. 28. § institutus 1. Si  
quis om. ca. testam. l. 4. Unde legit. † Eadem tamen non tan- 6.  
tùm primò, sed & secundo modo, legitima seu lege obvenire re-  
ctissimè dicitur. Hereditaria quippè successio, non tam legibus  
permissa, quam introducta est h. l. n. Ait Ictus, testamentarias  
hereditates lege XII. Tab. confirmari. Non ait dari: quia il-  
las lex per se non dat, sed testator. Sed testator sine effectu daret,  
nisi dationem lex confirmaret, ex qua confirmatione, demùm defer-  
tur & testamentaria hereditas. quam testator nequaquam jure do-  
minii transmittere valeret, nisi hoc ex jure publico haberet l. 3.  
Qui testam. fac. post. dixi ad l. 80. h. tit. † Et si ergò non propriis- 7.  
sime seu tertio: tamen secundo modo & non impropriè testamen-  
taria hereditas lege obvenire dicitur. h. l. n. Utiq; id legiti-  
mum est primariò, quod simpliciter à lege est, quod à merâ lege  
est. Quod hominis factum requirit, si tamen ab ipsâ lege vires  
capiat, quam proximè legitimum dicitur, & sic non improptiè,  
quia sc: à propriissima verbi significatione minimum recedit † 8.  
Si igitur respectu diverso testamentaria hereditas potest legitima  
dici & non dici, legitimæ hereditatis mentione simpliciter factâ,  
quam intelligemus? Veluti si ita Societas cõita sit, ut si qua here-  
ditas iusta aut legitima alterutri obvenit, communis sit? Et  
Paulus respondit, probabilis esse, ad legitimam hereditatem seu il-  
lam, quæ ab intestato defertur, tantum hoc pertinere, l. 3. §. 2.

B

pro



pro socio. Sentiendum est, Paulum ex contrahentium mente id ita statuisse. Etenim cum omnis hereditas ex lege deferatur, & secunda significatio legitimæ, ipso verbo hereditatis exprimat, satis fuisset simpliciter hereditatis mentionem fieri, si hereditatem, etiam testamentariam, & sic quæcumq;, contrahentes communicari voluissent. Nunc quia de iustâ aut legitimâ hereditate specificè addiderunt, ne inutiliter id fecisse videantur, restringendi causâ legitimam hereditatem expressisse, & eam solam, quæ ex ratione iuris, & ex communi loquendi consuetudine specialiter legitima est, intellexisse creduntur. Vide Först. d. lib. I. c. 16. & seqq. Fachin. 6. controv. 41. Först. iun. de Pactis. c. 6.

*Ad l. Aliud fraus. 131.*

*Aliud fraus est, aliud pœna. Fraus enim sine pœna esse potest: pœna sine fraude esse non potest. Pœna est noxa vindicta, Fraus & ipsa noxa dicitur, & quasi pœna quedam præparatio.*

- Differentiam proponit inter fraudem & pœnam in pr. & inter pœnam & multam. in §. 1. Fraudis & pœnæ differentie duas videri possunt, sed prior pendet ex posteriori, & ab eadem sumit explicationem. † Fraus, inquit, sine pœna esse potest: pœna sine fraude esse non potest. Fraus, quando cum pœna est, ut causa est cum effectu. Sed fraudis significatio latior est, quandoq; non est causa pœnæ sed sine pœna. Verùm pœna nunquam sine fraude est, & ut effectum, semper fraudem ut causam præsupponit.
1. † Quid ergo fraus est, quid pœna? Fraudis significationem duplicem lictus ipse proponit, latam & strictam, dum ait, fraus & ipsa, noxa dicitur, & quasi quædam pœnæ præparatio. Noxam intelligo sive noxiam, id est, læsionem, violationem, damnum. Nam ista differentia, quod noxa ipsum corpus sit quod nocuit; noxia ipsum maleficium. §. noxa. 1. Inst. de nox. act. in iure non est perpetua.
  2. l. 4. §. 1. de leg. 1. † Quoties ergo non præfinita pœna est, cum alius violatur, damno afficitur; toties & fraus sine pœna est. Sæpius quis nocet alteri casu magis, quam culpa, ibi damnum & violatio, consequenter & fraus est: & pœna tamen nulla est. 2. in fin. inf. de. R. l. §. 3. Inst. ad L. Agril. sæpe læsio iusta est, & necessaria



necessaria. § *injurie*. 2. *Inst. eod. l. ut vim*. 3. de I. & I. quandoq;  
non necessaria quidem, sed tamen naturaliter licita, l. 22. § *fin.*  
o. 1. l. 16. § 4. de minorib. quandoq; nec licita, & nihilomi-  
nus impunita, l. & si quis 14. § *Dirus*. 14. de Relig. & sumpt. fun-  
Hęc fraudis significatio lata est, in quã rectè dicitur fraudem esse si-  
ne poenã. † In alterã autem strictiori significatione fraus sine poenã 4.  
esse nõ potest, eo ipso, quod dicitur ita respectu poenę, seu poenę præ-  
paratio. h. l. n. Fraudis interpretatio semper in Iure civili non ex-  
eventu duntaxat, id est, an damnum vel læsio subfit: sed ex consi-  
lio quoq; desideratur l. *fraudis* 79. inf. de R. 1. Consilium accipe  
pro voluntate nocendi, sive absolutè ut in dolo l. 1. de dolo. sive  
modo quodam, ut in culpa: aliter atq; aliter pro diversitate ma-  
teriz subjctę § 3. *Inst. quib. ex caus. man. non lic.* § 6. *Instit. de*  
*Actio. & utrobiz* Dd. † Attamenin hãc strictã quoq; signifi- 3.  
catione, inter fraudem & poenam differentia manet causę & effe-  
ctus: quæ tũ observetur, cũ distinctione causã ab effectu opus  
est. In iure sanè, ubi verba cum effectu accipiuntur, positã causã  
ponitur effectus, & causa sæpè cum effectu confunditur, veteresq;  
fraudem pro poenã ponere solebant. l. cum a. 23. § *excipitur*. 2.  
de Edil. Edict. & sine fraude, pro, sine poenã, vel commisso poenã  
digno. l. 1. ad L. *Falcid.* l. 32. de. *Injur.* Gothofr. ad h. l. Eius-  
modi enim fraudem seu noxam de iure poena sequitur, ne delicta  
maneant impunita l. ita vulneratus. 51. § *fin. ad L. Aquil.* Et vi-  
cissim, sine fraude & culpã nemo puniendus. l. 1. § 24. ad *Syll.*  
*Alciat. hic. n. 6. & seqq. l. sancimus* 22. C. de poen. † Poena no- 6.  
xã vindicta est. Vindicta non æstimatio damni pecuniarii est, sed  
Ultio & coërcitio, in quã plerunq; amplius est, quã in damno  
ipso. l. *ferrus*. 7. de *ferr. export.* etiam tũ, cũ loco eius quod  
interest, poena succedit l. 41. & seqq. pro *octio*. sc. in eo, quod  
poena certa sit, id quod interest, incertum § *fin. inst. de V. O.* Imò.  
interdũ noxa Vindicta seu poena est, ubi non datur damnum  
pecuniarium, sed tũ est alia læsio ut in l. si quis id. 7. de *iuris-*  
*dict.* l. si per alium 5. § *in eum* 1. in f. Ne quis cum *qri in ius*. † Er- 7.  
go non intelligamus noxę vindictam pro quacũq; damni pecu-  
narij persecu- tione, sed pro coërcitione, quæ rem ipsam excedit,  
ne alioquin poenam cum reipsã, & actiones poenales cum rei per-  
secutoriis



8. secutoriis confundamus § 16. & seqq. Inst. de Action. † Vin-  
dicta quidem alia Iudicialis est, quæ infligitur indicialiter: alia  
Extraludicialis est, quam privatus privatim exercet. Sed hæc  
regulariter prohibita est. l. Non est singulis 134. de R. I. l. un C. Ne  
quis in sua ea. iud. Er quando permittitur, est loco pœnæ in iudicio  
infligendæ l. 1: & 2. C. grand. lic. unic. sin. iud. Et utroq; casu  
non est rei nuda persecutio, sed noxæ, id est læsionis, quatenus  
nimirum ob læsionem Ultio jure conceditur & præfinitur. Plurib.  
videatur Gôdd. hic n. 8. & seqq. Decian. in tract. crim. p. 1. lib.  
1. c. 5. rubr. de fraude. Farinac de pœn. temp. quest. 88. n. 35. &  
seqq. Coras. ad l. in Actionib. n. 25. de in lit. iur.

### Ad §. inter multam. I.

Inter multam autem & pœnam multum interest, cum pœ-  
na generale sit nomen, omnium delictorum cœrcitio: multa spe-  
cialis peccati, cujus animadversio hodiè pecuniaria est: pœna au-  
tè non tantum pecuniaria, verum capitis & existimationis irroga-  
ri solet. Et multa quidem ex arbitrio eius venit, qui multam  
dicit, pœna non irrogatur, nisi qua quaq; lege vel quo alio jure  
specialiter huic delicto imposita est. quinimò multa ibi dicitur,  
ubi specialis pœna non est imposita. Item multam is dicere po-  
test, cui iudicatio data est. Magistratus solos & Præsides Pro-  
vinciarum posse multam dicere, mandatus permissum est; pœnam  
autem unusquisq; irrogare potest, cui huius criminis sive delicti  
executio competit.

Labeo non tantum Ius ingeniosissimus & doctissimus, sed  
etiam Philosophus l. 2. § post hunc 47. de Orig. iur. nullam in-  
ter pœnam & multam faciebat differentiam. † Non hoc vo-  
lebat, aliquam multam esse & pœnam, sc. in genere dictam;  
& vice versa, aliquam pœnam esse & multam, ut male putavit Mus-  
corn. de iurisdic. n. 115. quem refutat Gôdd. hic. Sed si qua pœna sit,  
id est, quæcunq; tandem pœna sit, eandem & multam esse; & si  
qua multa sit, eandem & pœnam esse. l. si qua pœna. 224. inf.  
2. h. tit. † Ulpianus noster in h. § videtur de posteriori fateri,  
dum



dum pœnam facit & generale nomen, quod proinde de speciebus  
omnibus, & sic de multa rectè prædicetur: Prius a. rejicit, quia  
non sic & multa generale nomen sit, ut vicissim pœnam in specie  
dictam comprehendere possit. † Paulus a. *in d. l. 244. U. 3.*  
trumq; eorum vult falsum esse: qui proinde non Labeoni tan-  
tùm in utroq; sed & Ulpiano in posteriori de pœnâ refragari vi-  
detur, dùm nec admittit pœnam ut genus de multâ prædicari. † 4.  
Atqui si non magis Ulpianum & Paulum, quam Labeonem & ipsam  
veritatem amamus, istæ Ulpiani & Pauli differentiæ non verbo-  
rum sunt, nec multæ & pœnæ, sed rerum, ipsarum sc. specierum  
unius generis, quod utroq; nomine pœnæ & multæ rectè appel-  
latur. † Etenim quid aliud pœna est, quàm noxæ vindicta, aut 5.  
delicti coërcitio *h. l. n. in pr. § 1.* Ista autem coërcitio tùm  
demùm fit, quando ultra rem ipsam & damnum, quatenus revera  
est, quid nocenti aut delinquenti imponitur, § *his a. verb. 9. Inst.*  
*ad l. Aquill.* Quâ ratione per pœnam impositam, damnum in suâ  
emendatione augetur, multatur seu multiplicatur: † At mul- 6.  
ta à multum. *Gell. 11. noct. att. 7.* non quasi minimè multum, sed  
quod simpliciter multat seu multiplicet, dicta est. Nam multare,  
pro multiplicare *apud Plaut. extat. in Stich.* Sic noxæ vindicta  
omnis multa est, & omnis multa noxæ vindicta, consequenter &  
pœna est. Et ita apud alios etiam Autores bonos, multare gene-  
raliter accipitur pro punire. *Alciat. hic n. 10.* † Verùm cùm 7.  
inter pœnam seu multam, quam Lex, & inter eam, quam iudex  
imponit vel multiplicat, magna constet differentia, & tamen com-  
modius sit, singulas res, singulis appellationibus denotari; usu tan-  
dem eò deventum esse videtur, ut unum nomen uni, alterum alte-  
ri speciei soli accommodaretur. Pœnæ quidem nomen legi, quæ  
certa est, & primariò coërcet, cui tamen coërcitioni simpli multi-  
plicatio vel excessus inest: Multæ verò arbitrio iudicantis, qui  
primariò multat, & multiplicando vindicat noxam. † Quibus 8.  
præsuppositis, Labeo in suo sensu, quantum ad verborum vim, ve-  
rus manet; & veri tamen manent Ulpianus & Paulus quoq; in  
suo, sc. quantum ad usum. Usus verbi, multæ, tantùm specialis  
est: Usus pœnæ & generalis & specialis. Ulpianus *in h. § de*  
*pœnæ usu* tractat utroq; quo sensu verum est, Omnem multam esse



pœnæ speciem. Paulus autem in d. l. 244. tractat de usu pœnæ tantum speciali, & affirmat rectè falsum esse, si quis dixerit multa, quod sit pœna, in specie sic dicta. † Igitur quantum ad usum verborum, Prima differentia sit, quòd pœnæ nomen & generale & speciale sit; multa speciale tantum. Pœna est cuiuscunq; noxæ vindicta; multa specialis cõercitio peccati, quod Dd. vocant innominatum, quasi, quod nomen speciale & pœnam nominatim impositam non habeat. Alciat. hic n. 13. & seqq. Ue si quis sit contumax, coram tribulali irreverenter quid egerit, Prætorem, 10. contumeliosè compellaverit. Alciat. ad d. l. 244. n. 8. † Secunda differentia est in ipsâ specialitate. Et pœna & multa à lege est. Sed pœna immediatè: multa mediatè, per potestatem, multanti collatam. Pœna iure specialiter irrogatur; multa, 11. generaliter, dum ius potestatem multandi alicui concedit. † Ex hâc sequuntur omnes aliæ, veluti Tertia, quia species certa, genus incertum. l. certum. 6. de reb. cred. l. stipulationum 74. & seq. de V. O. pœnam esse certam, speciali lege specialiter & certò definitam; multam incertam & in potestate iudicis, quantam dicat, nisi cum lege est constitutum, quantam dicat, d. l. 244. l. 2. C. de Episc. aud. l. 13. § antepen. C. de iudic. Nam & tùm servat nomen multæ, d. d. text. Alciat. hic n. 9. & seqq. † IV. Vbi pœna sit, multam dici non posse, quia in toto iure generi per speciem derogatur. l. in toto inf. de R. I. & proinde ibi demùm multam dici, 13. ubi specialis pœna non est imposita. h. l. n. † V. Pœnam & pecuniariam & capitis & existimationis esse, qualemcunq; scilicet imposuit; multam, quæ olim pecuaria erat. Gell. d. lo. Alciat. hic n. 15. hodie non nisi pecuniariam esse; quia ultra eam lex Magistratui nihil concessit; in tantum, ut nec per consequentiam infamiam multam sequatur. l. 1. C. de modo multæ. † VI Non nisi eum, cui iudicatio data est, multam dicere posse, nec enim iure privato competit, sed iure magistratus. At omnem tamen cui iudicatio data est, multam dicere. l. 2. § fin. de iudic. ex lege Aterina. Halicarn. lib 10. Cujac. hic. At pœnam dicere vel præscribere nemini sic datum esse, sed tantum irrogare & exequi: Et executionem quoq; dari non generaliter, aut iure Magistratus, sed specialiter, & propterea nemini, nisi cui nominatim & specialiter



specialiter tributa est, competere, l. 1. de off. eius cui mand. est jurid.  
† VI. A poena provocationem non esse, quia eam lex impo-  
nit, à quâ nulla est provocatio; à multâ esse provocationem, quia  
eam imponit iudicans, à quo est provocatio, d. l. 244. Magi-  
stratus nec obedientem & nocuum civem, mulctâ, vinculis, ver-  
beribusq; coercendo: nî par maiorvè potestas populusq; prohibes-  
sit, ad quos provocatio esto. Cic 3. de legib. A poenâ ipsâ non  
est provocatio, quæ iure infligitur; At si pronunciatum sit de fa-  
cto, etiam additâ poenâ, provocare integrum est super questione  
facti, l. furti 6. de his qui not. infam. l. 3. C. de re iudic. gl. ad d. l.  
244. in verbo: de poena. ibi: Tu dic, tertio.

### Ad l. Anniculus 132.

*Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur, &  
consuetudo loquendi id ita esse declarat.*

Verisimile est, Paulum anniculi definitionem proposuisse  
propter legem Iuliam & Papiam, quâ Latinus ius civitatis acqui-  
rebat, si ex uxore filium suscepisset, etsi amississet, modo annicu-  
lum. Ulp. in fragm. de Latinis §. 2. Cujac. & Gôdd. hic. Sed lege  
istâ antiquatâ §. fin. Inst. de Libertin. non idèd minus in aliis iuris  
articulis usus huius definitionis manet. l. 1. §. 10. de ventre inspici. l.  
26. de pact. dotal. Anniculus seu Uniennis est infans unius anni.  
† Pro diversâ verò anni computatione, diversa videtur, & exindè  
dubia anniculi definitio. Primò enim annus accipi potest in-  
ceptus pro completo, ut in honoribus petendis. l. ad Rempubl. 8.  
de mun. & hon. Secundò potest intelligi, pro naturaliter completo,  
ut ultimum ultimi diei momentum sit absolutum, ut in l. 3. §. mi-  
norem, de minorib. Tertiò intelligi potest, pro completo civiliter,  
ut satis sit diem ultimum esse inceptum. l. 6. & seq. de Usucap.  
† Paulus autem in h. l. n. & in l. anniculus. 134. h. tit. remonet  
intellectum primum & secundum, ut anniculus sit, non statim ut  
natus est, sed qui trecentessimum sexagesimum quintum diem in-  
ceperit, licet non impleverit. Rationem affert consuetudinem  
loquendi, quæ etiam verbi proprietate solet esse potentior. Gell.  
12. noct. attic. 13. Alciat. ad rubr. h. tit. n. 12. Deinde aliam in d.  
l. 134



l. 134. quia annus hic civiliter, non ad momenta temporum, sed dies numeretur. Tractavit enim Paulus, non de re naturali sed civili; de iure civitatis à Latino per filium anniculum recipiendo, & de lege Iuliâ & Papiâ merè civili. In civilibus autem temporis computatio civiliter fiat, oportet. dictum ad l. 2. § 1. h. tit.

*Ad § ante diem decimum.*

*Ante diem decimum Calendarum, post diem decimum Calendarum. nam utroq; sermone undecim dies significantur.*

- Huius § Accursius literam appellat malam, eiusq; lectionem triplicem annotavit. Cujac Duaren. & Donell. ad l. 13. de V. O. Gothofr. Gôdd. hic, retinent negativam Florentinæ, ut neutro sermone undecim dies significantur. Mihi autem convenientior videtur vulgatæ affirmativa: *Ante diem decimum Calend. & post diem decimum Calendarum, utroq; sermone undecima dies significatur*, scilicet iuxta computationem civilem, de quâ Paulum tractare ex principio
1. huius legis constat. † Computatione civili dies inceptus est pro completo, l. 6. & 7. de Usucap. Iuxta hanc igitur, tempus diei decimi etiam incepti, non recte dicitur antè diem decimum. Ergò necessum est ut referatur ad diem præcedentem, qui est Undecimus. Hæc computatio procedit in lege Decimariâ Iuliâ & Papiâ, ad quam & d. § ipse Gôdd. n. 1. refert. Procedit & in aliis
  2. civilibus d. l. 2. §. h. tit. † Stipulationes etsi iuris civilis inventum sint, Gôdd. de contrah. stip. c. 2. concl. 1. & 2. tamen res quæ instipulationem deducuntur, sc. ut quid certo tempore detur
  3. aut fiat naturales sunt & ante jus civile. † Ea propter ubi rebus dandis aut faciendis tempus adijcitur, & si per stipulationem; tamen computatio temporis non civiliter, sed naturaliter instituitur de momento in momentum: Quâ computatione dies decimus Calendarum, non antè censetur impletus, quàm ultimo illius diei momento peracto, & consequenter tempus omne, quod ante illud momentum est, recte dicitur, esse ante diem decimum Calend. †
  4. Hæc genuina ratio est, ob quam. Ulp ad Sabinum, in d. l. qui ante. 13. de V. O. scripserit, Eum qui ante Calendas proximas stipulatur, similem esse ei, qui Calendis stipulatur. Etenim ut qui Calendis stipulatur, ante Calendas finitas non recte agit, quia totus dies usq; ad ultri-



ad ultimum momentum est Calendarum, ut si debitor in ultimo momento solverit, rectè Calendis solvisse dicatur: Ita qui ante Calendas stipulatur, ante ipsas Calendas finitas non rectè agit, quia omne ipsarum Calendarum tempus ultimum momentum præcedens, ante Calendas est, ut debitor ante Calendas omninò finitas solvens, stipulationi satisfecisse sit dicendus. † Hæc mea Ulpiani est cum Paulo in *b. l. n.* conciliatio, & resolutio primæ difficultatis, quatenus sc. his verbis: ante diem decimum Calendarum; & ipse dies decimus iuxta computationem naturalem, & dies Undecimus præcedens iuxta computationem civilem, rectè intelligatur. † Altera difficultas est de particula *post*, quomodo hic tantundem sit, quod ante, cum aliàs repugnet. Observetur autem Ordo duplex in harum dierum computatione, retrò & porro. Si ipsos dies porro numeramus, dies Undecimus Calendarum per se diem decimū præcedit, si retrò dies undecimus, ratione numeri diem decimum non præcedit, sed sequitur. Græcorum enim imitatione Latini, post præcedentis mensis Idus, subsequens mensis Calendas retrò numerarunt, ab augmento in deminutionem usq; ad ipsum Calendarum diem computando. *Alciat. hic n. 7.* isto pacto idem dies undecimus diversâ consideratione & ante & post diem decimum Calendarum numeratur, & post diem decimum Calendarum secundum computationem civilem, de qua hic agitur, erit die Calendarum undecimo. *Altorum opiniones vide apud Alciat. & Godd. hic. ad de Cujac. hic & 27. Obs. 27.* *Ad §. Falsum est.*

*Falsum est, eam peperisse, cui mortuæ filius exsecutus est.*

Aliud est peperisse, aliud filium habuisse. Parere denotat ipsum mulieris enitentis actum. *Alciat. hic.* At mulier sine isto actu filium potest habuisse, veluti cui mortuæ filius exsecutus est. *L. etiam ea mulier 141. inf. b. tit.* Item illa, cuius filius post mortem, ab hostibus rediit. *d. l. 141.* Captus enim ab hostibus servus fit, & censetur pro mortuo, sed reversus jure postliminii censetur nunquam captus fuisse. *§. si ab hostib. §. 1. ff. q. b. mod. ius. patr. pot. solv.* † Quandoq; tamen ex mente proferentis, pariendi verbum non ad actum aut modum pariendi, sed ad ipsum partum est referendum, ut si quis instituerit filium, eam uxor sua pepererit, & si is decesserit, Tuius, et si filius exsecutus sit mortuæ, institutus intelligitur, quod Tenator non factum uxoris, sed natum ex eadem sperave-

C

perave-



esperaverit. & si de casu hoc insolito cogitasset, eum quoque indubiè  
verbis clarioribus expressisset. Salicet. ad l. fin. C. de posth. hered.  
2. instit. Alciat. hic. ¶ In genere autem an taliter natus proficit, ex-  
pediendum est distinctione in l. 129. f. h. tit. tradita: num lex  
ipsū pariendi factum, num verò partum intueatur, ut illo casu celsus  
non proficit; Veluti Latina non acqvierebatur Civitatis Romanae,  
cui mortuae filius exectus erat, quia lex id tribuebat ita demum, si  
terrenixa esset, Ulp. in fragm. de Latim. Posteriori verò proficit, veluti  
ut ita editus agat de inofficioso, aut perat bonorum possessionem,  
l. 6. de inoff. test. l. 1. § 9. Unde Cognati l. 1. § 5. ad Trebellian.

*Ad l. si quis sic dixerit. 133.*

*Si quis sic dixerit, ut intra diem mortis eius aliquid fiat,  
ipse quoque, dies quo quis mortuus est numeratur.*

Verbi proprietate, si Apollinari Sulpitio credimus, *intra*, ni-  
hil aliud significat, quam *in*, ut *intra* Calendas sit *in* Calendis. Is  
enim apud Gell. 12. noct. att. 13. disserit, particula, *in*, sicut & part.  
*in* *eruls*, quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur,  
additam esse tribus omnibus eandem syllabam, ut jam sonarent, *in*-  
*tra*, *citra*, *ultra*. Itaque secundum verbi ipsius rationem, *intra* Ca-  
1. lendas non esse ante Calendas, sed in ipsis Calendis. ¶ Consvetudinem autem vicisse, ut non tantum *intra* Calendas, jam sit *citra* vel ante Calendas, sed etiam *in* super dubitetur, an etiam sit in ipsis Calendis. Huius consvetudinis rationem hic affert Alciat, quia tempus concessionis, usque ad extremum diem, quo negotium.  
2. explicari potest, pro uno habetur. ¶ Ratio autem dubitandi, an *intra* Calendas, sit in ipsis Calendis, hæc forsitan esse potest, quod voce, *intra*, terminus ab aliis terminis conclusus, antecedente *se*, & sequente, demonstratur; Igitur, cum ipse dies Calendarum sit terminus sequens, nec minus ac tempus concessionis præcedens, illud omne, quod *intra* hæc tempora est, concludatur; non videbatur terminus concludentes sub concluso contineri, cum oporteat terminum à quo, & terminum ad quem, ab utriusque medio distingui.  
3. ¶ Sed rectè prævaluit, ipsas Calendas non esse terminum, ad quem sed potius ultimum & finem temporis intermedii, quod terminum à quo, habeat momentum concessionem præcedens, & terminum ad quem, diem Calendas sequens, Agell. d. loc. eaque ratione dies termini in ipso termino contineatur, h. l. n. l. 99. § 1. de V. O. l. 1. § si *intra* de success. edict.

Ad l.



*Ad l. Anniculus 134.*

Anniculus non statim ut natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente plane non exacto die, quia annum civiliter, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.

*Ad l. Quæret. 135.*

Quæret aliquis, si portio sum, vel monstruosum, vel debile mulier ediderit, et æqualem vi, et vel vagitu novum, non humana figura, sed alterius magis ani malis, quam hominis parium: an quia enixa est, prodesse ei debeat? Et magis est, ut hæc quoque parentibus prosum, nec enim est, quo de eis imputetur, quæ qualiter potuerunt, statuis obtemperaverunt: neque id, quod fataliter accessit, matri damnum iniungere debet.

*Ad l. Generi 136.*

Generi appellatione & neptis & proneptis etiam ex filio, quam ex filia editorum, caterarumque maritos contineri manifestum est.

Lex 134. explicata est. §. ml. 132. De lege 135. dictum ad l. 38. & l. 129. Huius legis 136. explicatio ex dictis ad l. nurus. 50. petenda est.

*Ad l. Ter enixa. 137.*

*Ter enixa videtur, etiam quæ trigeminos pepererit.*

Latina, si ter enixa sit, ius Civitatis Romanæ consequitur. Ulp. in. fragm. de Latim. & olim mater, non nisi tres liberos enixa esset, filio succedebat. §. 1. Inst. ad Tertul. scem. ita & libertas, vel quid aliud legari mulieri potest, si ter enixa sit. l. 15. de stat. hom. si ter geminos peperit, etiam ter enixam videri, hic demonstratur, quia si singuli singulatim in lucem prodeunt, nec natura permittit, si mul uno imperu duos infantes de utero matris excedere. d. l. 15.

*Ad l. Hereditatis. 138.*

*Hereditatis appellatione bonorum quoque possessio continetur.*

Hereditatem à bonorum possessione differre arguunt definitiones distincte l. 24. sup. h. tit. item distincti tractatus in Instit. D. & C. §. Nihilominus hereditatis appellatione bonorum quoque possessio continetur. h. l. n. idque dupliciter potest intelligi. Primo, ut bonorum possessio tanquam minus, hereditati ut majori insit, & quæ competuat iura bonorum possessori, eadem etiam

A 2

competant



competant heredi, idq; ex vi verbi & naturâ rei est verissimum, cum utiq; hereditas & bonorum possessio ad eundem finem sint, sc. ut earum ope bona defuncti in heredem transferri queant: sed cum lex, penes quam dominium universale residet, heredes, id est, directos dominos efficere posset; Prætor minister legis, non posset; tamen cum esset loco legis, constituit bonorum possessores heredum etiam loco. § *quos a, 2. Inst. de bon. poss.* † Ex eo vice versâ, quæri potest, an & hereditas vicissim dici possit bonorum possessioni inesse, ut dicta de hereditate, pertineant & ad bonorum possessionem. Et statuendum est, id ex naturâ verbi non esse, sed ex interpretatione. Etenim maius non inest minori; jus majus, hereditas, non inest minori juri, bonorum possessioni per se, alioquin Prætor tantundem posset, quantum lex, *contra d. § quos a,* nec esset inter utrumq; ulla differentia. † Sed cum bonorum possessio in exemplum, subsidium & locum hereditatis sit introducta, æquum fuit, surrogatum naturam sui surrogati sapere, & de hereditate constituta ad bonorum possessionem produci, sc. ut quod hæres poterat ipso jure, bonorum possessor possit auxilio prætoris actionibus & exceptionibus fictitiis. *Vlp. in fragm. tit. 28. §. fin. & quo ad effectum, bonorum possessor heredis appellatione contineatur, l. 19. § 2. de condit. & demonstr.* *Ad l. Aedificia 139.*

*Aedificia Romæ fieri etiam ea videntur, quæ incontinentibus Romæ aedificiis fiant.*

Si cautum esset, ut qui Romæ ædificium habet, Romanus sit, gl. hic. aut si ædificia sua Romæ quis leget, donet, aut aliud quid, sub conditione hæc, si Romæ ædificium fecerit: quæri potest de ædificiis continentibus an & illa videantur Romæ esse? Et determinatur hoc affirmativè, per rationem in l. 2. s. h. tit. explicatam,

*Ad § Perfecisse I.*

*Perfecisse ædificium is videtur, qui ita consummavit, ut jam in usu esse possit.*

Si dictum sit de ædificio Romæ vel alibi perficiendo, non opera spectatur, sed opus absolutum. Intelligitur autem absolute, non tantum tunc, si ei nihil addi vel minui salvâ integritate potest, qualis perfectio per se ratione rei & absolute perfectio dicenda; sed etiam is ædificium perfecisse videtur, qui ita consummavit, ut

jam



iam in usu esse possit; non in usu quocumque; sed in destinato, h. l. n.  
Qualis perfectio respectu certæ intentionis contrahentium aut Testa-  
toris, seu tantummodo quodammodo est perfectio. dictum ad l. 5. §. 1. f. h. tit.

*Ad l. Cepisse. 140.*

*Cepisse quomodo intelligitur, quamvis alii acquisit.*

*Et ad l. Etiam ea mulier. 141.*

*Etiam ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, quæ  
exciso utero edere possit: nec non etiam alio casu mulier potest ha-  
bere filium, quem mortis tempore non habuit, ut puta eum, qui  
ab hostibus remeavit.*

Lex. 140. explicata f. sub l. 71. Sicut & l. 141. sub l. 132. §. 2.

*Ad l. Triplici. 142.*

*Triplici modo conjunctio intelligitur, aut enim re per se con-  
junctio contingit, aut re & verbis, aut verbis tantum. Nec dubi-  
um est quin conjuncti sint, quos & nominum & rei complexus  
ingit, veluti, Titius & Mævius ex parte dimidiâ heredes sunt;  
vel ita, Titius Mæviusq; heredes sunt. Vel Titius cum Mævio ex  
parte dimidiâ heredes sunt. Videamus autem, ne etiam si hos  
articulos detrahas, & q; eum, interdum tamen conjunctos accipi  
oporteat; veluti, Lucius Titius, Publius Mævius ex parte dimidiâ  
heredes sunt. Vel ita, P. Mævius, L. Titius heredes sunt. Sem-  
pronius ex parte dimidiâ heres esto, ut Titius & Mævius veniâs  
in partem dimidiâ, & re & verbis conjuncti videantur. L. Titius  
ex parte dimidiâ heres esto, Seius ex parte, quæ L. Titium here-  
dem institui, heres esto. Sempronius ex parte dimidiâ heres esto. Ju-  
lianus dubitari posse, tres semisses facti sint, an Titius in eundem  
semissem cum Gaio Seio institutus sit. Sed eo, quod Sempronius quoq;  
ex parte dimidiâ scriptus, verisimilius est in eundem semissem an-  
os coactos, & conjunctim heredes scriptos esse*

Una hereditas duobus aut pluribus relinqui; sicut & eadem res  
duobus aut pluribus legari potest § 4. §. 7. l. de her. inst. § 8. l. de legit.  
ibi Questio, † Uno vel altero deficiente, ad quem portio eius per-  
tineat, an fiscus, an heres, an collegatarius præferatur? Et locus fit  
disputationi de jure accrescendi. l. 80. de Leg. 3. t. t. de Usufr. accresc.




Iuris illius cum inter plures tantum, eosq; conjunctos locum habeat, tres esse videntur quaestiones principales. 1. Qui & quotuplitates conjuncti sint? 2. An omnibus & quibus accrescat, nec ne? 3. Quae conjunctionis species potior sit? ¶ Paulus in h. l. Quaestione primam declarat. Ait, Triplici modo conjunctionem intelligi, tantum, re & verbis simul, & verbis tantum. Mediam speciem tantum persequitur definitione & exemplis, Cujac. hic contra Hottoni.


3. ill. quest. 43. ¶ Re & verbis conjunctos definit illos, quos & nomen & rei complexus iungit. Rei complexus est, dum res una eademque utrique, in solidum legatur. Res una vinculum est, quo legatarius uterque eius rei respectu tanquam in unum colligantur. Nominum complexus pertinet ad ipsas personas: non, quod ipsae personae revera & in sese, a Testatore sic in unum constringi possent, ut ex duabus aut pluribus una fieret, quod testatori est impossibile, sed quod personarum nomina uno orationis contextu sic coniungantur, ac si omnium unum nomen esset, ut est una Oratio, & ita per nomen conjunctionem, ipsae quoque personae pro una hactenus reputantur. ¶ Nominum complexus fit articulis conjunctivis, aut sine illis etiam articulis. Articulis conjunctivis, veluti, si ita Testator relinquat, Titius & Mævius ex parte dimidia heredes sunt. in hac formula Titius & Mævius sunt re conjuncti, quia eadem res dimidia scilicet hereditatis pars utrique, in solidum relinquitur. Sunt etiam conjuncti verbis, quia Titii & Mævii nomen eodem Orationis filo, per conjunctivam particulam, Et, copulatur. Idem est in hereditate tota utrique, in solidum relicta, ut si dixerit, Titius, Mæviusque heredes sunt; quia scilicet & hic in tota hereditate, sicut ibidem in parte coniunguntur, & quod iuris de toto quoad totum, idem iuris de parte quoad partem, & contra. Sed etsi dicat, Titius cum Mævio ex parte dimidia heredes sunt, tantundem est, ac si dixisset, Titius & Mævius, aut si usus fuisset alia conjunctione, l. 7. de usufr. acrese. l. Titia. § 2. de leg. 1. ¶ Addit Paulus, etsi hos coniungendi articulos detrahas, interdum tamen conjunctos accipi oportere: quia scilicet & sine his particulis, aliter nominum quoque complexus esse potest, quando scilicet non re tantum, sed ipsa Orationis connectione nomina etiam coniunguntur, & oratio soluta pro conjunctiva accipitur, ut in l. 28. § 1. f. h. tit. d. Num sunt. Veluti si ita scripserit, C. Titius, P. Mævius heredes sunt ex parte dimidia.

Part




















AC CARCERES IN CAUSA DEBITI

sonalis arresti gratia secessionem fecerit eum i  
cambiale usu vel lege *haud inuictum*; nihilo  
valide cambialiter conveniri posse, docet BE  
For. Tit. V. 3. n. 4. p. 137. Conf. BARTH. Ho  
IV. §. 4. p. m. 833.

8) In litteris cambii *non requiritur jam facta de*  
excussio iure Saxonico et aliorum locorum leg  
cambium et pactum obligationis ad carcerem c  
xonia.

9) In iisdem igitur *nec bonorum cessio liberat a ca*  
Conf. b. ABR. KAESTNERI disp. *de obligatione*  
*causa debiti. Lips. hab. 1723. et V. C. IOH. FRI*  
*de pecunia mutuatia tuto collocanda. Cap. III*  
jus autor exquisitoria tradit, quam inscripti  
promittit.

§. CXVIII.

Obligatio ad *obstadium* etiam ab obligatione d  
rem est diversa. Illa enim, nomine ante diem noi  
bitor interpellatus *diversorium publicum ingredi*, in  
fere, donec creditori satisfecerit, obstringitur. Q  
cum designatum *haud ingreditur*, per sententiam ob  
gitur et quidem cum comminatione poenae *des Schu*  
tenia ita habet: *Ist beklagter also fort nach Insin*  
*nach den öffentlichen Gast-Hof N. zubegeben und das*  
*gestellte Einlager zu halten schuldig, mit der Com*  
*dem nicht also nachkommen wird, daß auf den fall*  
*des Schuld-Thurm ietzt alsdann und dann als ietzt g*  
*auf fernar gegen ihn ernstlich verfabren werden soll.*  
obstadium hodiernum in terris *Sleswico-Holsaticis, Ha*  
re constat. CAROLUS V. Imp. litteris civitati *Gelnhaus*  
bus *Spirensibus* an. 1349. datis se ipse ad obstadium

K 3

